Przyłęcki Hieronymi: Argumentum gratitudinis ex Conclusionibus philosophicis ~~desumptum~~ doctrinae Doctoris Doctorum Augustini conformibus desumptum.

ARGUMENTUM
GRATITUDINIS
EX
CONCLUSIONIBUS
PHILOSOPHICIS
Doctrinæ Doctoris Doctorum AUGUSTINI
conformibus
DESUMPTUM.
Singularissimo Benefactori Cracov: Studij
PERILLUSTRI & REVERENDISSIMO DOMINO,
D. PETRO BOROVIO,
Sacræ Theologiæ DOCTORI,
PRÆPOSITO ad S. HEDVIGIM,
CURATO Vrociriensi,
Ordinis Canonicorum Regularium
Hierosolymitanorum
GENERALI CUSTODI,
in
publica disputatione
CONSECRATUM,
à
HIERONYMO PRZYŁĘCKI, Can: Reg: Hieros: Philos: Auditore,
sub Præsidentia
R. D. FLORIANI BUYDECKI,
Philosophiæ Professoris, Canonici Regularis Hierosolymitani.
Anno Domini 1724.

CRACOVIÆ, Typis Viduæ & Hæredum Francisci Cezary, S.R.M. Ordinarij Typogr.

PERILLUSTRIS
ET
REVERENDISSIME DOMINE.

C*Edant hinc, qui Munifices suos non agnoscunt, nos Tibi quos aureo beneficiorum nexu ligasti, hodie plures quàm vel fingere Poëtarum potuissent fabulæ Gratias persolvimus.* Perillustris & Reverendissime Domine, Custos Generalis meritissime. *Etiam nostra Philosophica Pallas de tribus Jovis est Gratijs, quem exhaurit coronat puteum. Et quomodo coronare non valeat, quæ sua in Te coronata semper retinet desideria, singula nec ipse facundus Tullius, nec rosei oris Hortensius recenseret. Illa inquam, quæ etiam irrogatus in Palladem*

nostram spargis munera, illas quibus corda ligasti gratias, enarrare, pondus Ætna gravius. Liceat proferre unum pro millibus beneficium: quomodo nostram Palladem in sinu gratiarum fovisti & foves, eruditas apud Te illi conservando Athænas, nulla mens Tua quæ de ipsa non cogitet, nulla cogitatio quæ ipsi ulteriores non paret honoris gradus. Si verò à Scholastica Pallade in nostrum universum Canonicum Ordinem convertemus palpebram, quantum in illum beneficiorum diffudisti Oceanum mirari possumus non eloqui. Cùm ergò Tua in nos beneficia referre non opis est nostræ, Conclusiones Philosophicæ Tuo inscriptæ Nomini, Tua merita sine conclusione deprædicent, nos tantùm præcamur superos ut Tibi vitæ diuturnam incolumitatem adaugeant, quâ fortunatus Ecclesiæ, Ordini, Nostræq; Palladi præesse ac prodesse possis.

Perillustris & Reverendissimæ
Dominationis Vestræ

servus humillimus

H. P. P. A.

CONCLUSIONES PHILOSOPHICÆ EX LOGICA

juxta Mentem Doctoris Doctorū AUGUSTINI.

I.

LOgica juxta Doctorem Doctorum AUGUSTINUM Lib: 2. de Ordine Cap: 13. est *Disciplina Disciplinarum*, de qua etiam eodem lib: sic dicit: *Hæc docet docere, hæc docet disserere, scit scire, sola scientes facere, non solùm vult, sed etiam potest.*

II.

EAdem Logica est propriè Scientia. Ita idem S. Doctor lib: 2. de Civit: cap: 7. & lib: 11. eandem appellat: *Scientiam & Scientiæ formam.*

III.

EAdem Logica præter hoc, quod sit Scientia est etiam ars. Ita S. Doctor lib: 4. Confess. Cap: 15. & lib: contra Julianum cap: 7. & lib: 1. contra Crescon: cap: 20. manifestè dicit de Logica. *Hanc artem nunquàm Doctrina Christiana formidat.*

IV.

EAdem Logica est partim practica, partim speculativa intrinsecè. Colligi potest ex S. Doctore lib: 8vo de Civit: cap: 4to.

V.

OBjectum materiale Logicæ sunt operationes intellectûs. Colligi potest ex eodem S. Doctore lib: 2. de Doctrina Christiana cap: 35.

VI.

VI.

OBjectum verò formale ejusdem Logicæ non est ens rationis Thomisticum, neq; ens rationis Diminutum, ut manifestè Noster S. Doctor habet Sermone 14. ex 12. Parisianis, & Tractatu 19. in Joannem Sermone 2do, & 13. ac lib: 1mo Symboli cap: 2. & tandem concione 17. in psalmum 118. ubi in omnibus his libris contra illud graviter loquitur: vocans illud *Idolùm cordis, humanam imaginationem, ac nugas mentis.* Sed est Rectitudo Logica passiva, ut iterum colligi potest ex eodem S. Doctore lib: 2do Soliloq: cap: 11.

VII.

OBjectum attributionis in Logica est Demonstratio.

VIII.

LOgica non est necessaria simpliciter ad Scientias in statu perfecto acquirendas, Ita idem S. Doctor lib: de Doctr: Christiana cap: 37. manifestè dicit: *Quanquam plerumq; accidat ut faciliùs res eas* (id est Scientias) *assequantur, quàm talium præceptorum nodosissimas & spinosissimas disciplinas.*

IX.

IX.

Distinctio ut sic triplex cogitari solet, nempè realis, rationis & media inter realem & rationis, hæc ergò Distinctio realis & rationis datur, non datur verò media inter realem & rationis, nempè virtualis intrinseca & formalis ex natura rei.

Ad Majorem DEI Gloriam,
Beatæ MARIÆ immaculatè Conceptæ Honorem,
SS. Jacobi Justi, Apostoli, Fundatoris Ordinis
ac Magni Augustini Legislatoris & Doctoris
Venerationem.